

h. 103, 22.

(X 2000 334)

Ya  
442

ORATIO  
DE  
PROPAGATIONE, CON-  
SERVATIONE, ET UTI-  
LITATE  
SCHOLÆ ANNÆ-  
BERGENSIS;

Ad  
Senatum & Scholarchas;  
*In exodio Examinis Auctumnalis*  
*habita.*

M. GEORGIO ARNOLDO,  
Schol. Rect.

*Anno M DC XLVII. die 3. Novembr.*


hic quasi

*Chronologia Scholastica ab Anno 1609. usq̄*  
*ad 1650. pertingens.*

L I P S I Æ,  
TYPIS TIMOTHEI RITZSCHII, 1650.

OSAE VITE I O  
P. ATRES DOMSCRPTA P. L. R. A.

**VIVIT  
POST FUNERA  
NOMEN.**



ra  
tu  
ti  
vi  
ve  
q  
m  
di  
o  
fa  
ac  
fe  
la





SALVETE,

*PATRES CONSCRIPTI PLURIMUM honorandi!*



Ausa, quamobrem Pagellas hæc VOBIS, Viri Amplissimi, mittâ, nata mihi est ex vestrâ ἀπορία. quâ, propter arduas in Repub. quibus tum temporis vacandû, deliberationes, in Examinis proximi terminalibus cõparere haud valuistis. Orationem itaq; tum habitam, quia præsentibus audire non potuistis, literis Typographicis impressam nunc absentes privatim pellegite, & semihorulam rebus, quibus distenti estis, gravissimis, suffurati, oculis benignis accipite, impendite. Ego verò, qui nihil magis hæctenus in votis habui, & adhuc habeo, quàm Officinam nostram literariam esse, si non florentissimam; attamen florentem; non possum non Vestræ Amplitudini gratulari, utpote, cujus egregiâ erga Musas animi inductione fit, ut ingenuarum disciplinarû studia debito honore, favore, ope, liberalitate munificâ prosequantur. Votum addo, ut Schola hæc, fœcundissimum Ecclesiæ & Reipublicæ seminarium in hac Urbe, ceu hæctenus munificentia Vestra laudabili floruit; ita deinceps quoq; vigorem suum obtineat,

A 2

ut,



(o) (o)

In nomine supremi nostri DOCTORIS JESU CHRISTI, qui est  
A. & Ω. in infinitas myriadas seculorum laudandus & ce-  
lebrandus, AMEN!

**D**erduximus tandem, VIRI: Reve-  
rende & Clarissime Dn. Superintendens:  
Reverendi Pastores ac Diaconi: Vos i-  
tem Prudentissimi Integerrimi, fidelissi-  
mi, amicissimiq; Domini, Consules, Se-  
natores, Inspectores; Collegæ: Optimi de-  
niq; doctrinae & disciplinae, ad Pietatem  
ac humanitatem compositæ, mihi com-  
mendatissimi Discipuli: perduximus, inquam, nunc ad metam  
optatam Examen Auctumnale: & Ordines hosce, quos videtis,  
scholasticos, in hoc Theatrū, veluti in campum Martium, studiis  
cujusq; & ingeniis exploratis & probatis discēdi progressionibus,  
tanquam acies quasdam militares instructas atq; expeditas pro-  
duximus. Summo verò Illi & maximo Gymnasiarchæ CHRISTO  
gratias agimus, cujus beneficium est, & soli uniq; acceptum refe-  
rendum, quòd inter tot tantasq; rerum omnium perturbationes  
& fatales calamitates, voluerit hanc Scholam salvam incolu-  
memq; servare; neq; passus fuerit, hosce Docentium & Discenti-  
um cœtus bellicâ incursione, aliâve publicâ calamitate dissipari.  
In exodio autem Examinis consistenti mihi & in Terminalibus,  
consuetudo Scholæ aurem vellicat, & aliquid dicere imperat, nō  
velim à Musarum cœtu quàm alienissimus esse.

Verba igitur mihi faciendum esse, necessitatis est, ne dica mihi scribatur violata consuetudinis.

Etsi autem non est mea consuetudinis, me ipsum laudare, quod arrogantia, levitatis & impudentia est: tamen diffiteri non possum, in cunctationem meam & procrastinationem, cui ego culpa, (si culpa dicenda) nimium quantum affinis sum, illa Adagia non male jactari posse: Celerius Elephantipariunt: Acessei Luna; & si qua alia horum similia, quae dicere moris est in comperendinarios, qui se quidem movent sedulo, sed, aut nihil, aut parum certè promovent, & ut cum Plauto loquar, suis in negotiis, quibus opus erat maturato, grallatorio & formicino, testudineoq; gradu progrediuntur. Est enim annus propè jam vigesimus, quum hoc ipso de loco verba feci, de Scholae hujus origine atq; progressu, quàm haëtenus ratione propagata conservataq; fuerit, enumerare coëpi; quod meum pensum ad hunc usq; diem nō absolvi, (quamvis Auditores spe certā non semel lactārim, & fatebor enim quod res est, produxerim) & id quidem, si quis vertendum mihi vitio putārit, suum adjudicium meam ipsius quoq; sententiam adscribat. Verum intempestiva debita fidei liberatio hac non est, quamvis interdum lenti simus debitores, & diem ex die ducamus, praesertim si exsolvendi promissi tarditas, officii gravitate, (quod de me tamen polliceri non audeo) pensetur. Jam igitur, quod Deus felix ac faustum esse jubeat! ad reliquas argumenti mei partes animum adjiciam, & quàm haëtenus ratione propagata conservataq; fuerit hac Schola, edisserere primum: deinde ostendere ejusdem utilitatem, quam, Ecclesiae ac Reipublicae fideliter inserviando, exhibuerunt Discipuli; tam Intranei, quàm Extranei, ex eadem qui haëtenus prodiere, hac vice mecum con-

sti

stitui. Non autem percensere omnes volo: sed ex eorum copiâ  
paucos seligam, quos scio & notos Vobis esse, & dignos in hoc  
Confessû nominari. Verùm de his dicere meditantem, me imprimis  
recreat & reficit, quòd apud Vos, Auditores benevoli, dicen-  
dum est, quorum auctoritate illorû omnium fides, tanquam Vadi-  
monio aliquo, indubitata esse jubetur, qui ista partim etate ve-  
strâ meministis, partim auditione à Majoribus acceptâ recorda-  
mini. Quapropter, ut titubantes liberorum linguæ parenti-  
bus placent: sic spero, ac confido potius, fore, ut meum cona-  
tum, Vos & probetis, & vestrâ sponte mihi Res brevi oratione  
comprehendere meditati, non aures modò, sed mentes quoq;  
attentas adhibeatis. Fuit hoc studium omni tempore summis  
& maximis Regibus ac Principibus Rerumq; publicarum sapi-  
entissimis quibusq; Moderatoribus, ut inter cœteras Reipubli-  
cæ partes, Scholarum quoq; curam & propagationem ad se per-  
tinere judicarent, tum Relligionis, tum etiam Sapientiæ Civi-  
lis & liberalis doctrinæ propagandæ gratiâ. Quid enim non  
tantùm in Scholas, verùm omninò in Literas contulerint olim  
summi isti Monarchæ, satis ex Historiis constat. Ac ut brevi-  
ter multorum seculorum narrationes concludam, de officio pi-  
orum Magistratum in Scholis instaurandis, exornandis, collo-  
cupletandis, pauperumq; liberos, sumptibus destitutos, liberaliter  
fovendis: unicum hoc de Carolo Magno, primo Germanorum Im-  
peratore Christiano referam; qui non solum multos Episcopatus,  
multa Canonorum Collegia, multa Monasteria passim per to-  
tam Germaniam construxit; sed etiam ipsemet Examinibus,  
tàm Nobilium puerorum, quàm ex tenuioris fortunæ Civibus  
natorum, interesse dignatus est. De quo Johannem Aventi-  
num,

num, Clarissimum Historiographum, ex Annalibus Bojorum  
audire, quæso, ne gravemini. Quum enim narrasset, quæ ra-  
tione Carolus Magnus liberalia literarum studia penè oblitterata,  
instaurare summoperè conquisit; hæc de Examine verba adji-  
cit: Cùm Carolus Magnus longo post tempore in Galliam di-  
vertisset, Pueros, quos Clementi commiserat, Epistolis, Ver-  
sibus, Carminibus, Orationibus, Panegyricis, scriptis, ut peri-  
culum de eorum ingenio atq; indole faceret, sibi exhiberi jubet.  
Ubi tenuiores præter spem, profecisse: Nobiles verò gaudiis corpo-  
ris deditos, cultum animi neglexisse deprehendit; illis ad dextram  
segregatis: Vos quidem macti virtute, inquit, estote filioli pien-  
tissimi, qui nostro imperio gnæviter defuncti estis: Vestra erunt  
Sacerdotia locupletissima: Ego vos in Aulam adscisco: ex Vobis  
Senatores cooptabo. Deinde ad Nobilium liberos, quos à læva  
collocarat, vultu haud iram dissimulans, ait: At vos Comatuli,  
& Delicatuli, freti opibus, & splendore Parentum, nostram  
Majestatem consprevistis: vitia, otia, luxum & inertiam,  
bonis literis virtutibusq; contempto decreto nostro, prætulistis:  
jubeo, (& Deum immortalem testor!) nihil penitus commodi,  
honoris, ne obulum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussa  
aspernati estis, expectate: faxim, ut omnibus mortalibus ludi-  
brio vivatis; & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & ne-  
gligentiam diligentiam expiaveritis. Ignoscite, Auditores Orna-  
tissimi, quòd proluxius tam verba Historici, quàm Imperatoris  
præstantissimi, excitanda Juventutis ergò, recitavi. Vidit ni-  
mirum atq; intellexit Carolus ille, re & nomine Magnus, Ecclesi-  
as & Politias ut plurimum constitui, atq; gubernari felicissimo  
eorum successu; qui ignobilissimis parentibus, iisq; pauperrimis

ori-



oriundi, suo sibi labore, aliorum tamen praesidiis Gloriam & Vir-  
tutem peperissent. Quorsum autem haec? non aliorum sanè  
dicta sunt, quàm ut doceam, pios Magistratùs, Consules ac Se-  
natores, Patrum memoriâ, rectè fecisse, qui pia eruditionis of-  
ficinas Christo dedicavère: Magistros doctos honestis stipendiis  
alvère: pauperum aequè, ut divitum liberos in Ludum mitten-  
di, autores fuère: vel ad hoc ipsum Parentes, partim invitavè-  
re, partim adegère. Si namq; Consules & Senatores (loquor  
cum Beato Luthero de Scholis) in communi periculo Patriæ,  
Cives suos non hortari tantùm, sed etiam officii sui, & jura-  
menti ipsorum ratione, cogere possunt, ut alii Sarissas, alii Gla-  
dios, alii Bombardas, alii Tormenta majora expediant, & in  
hostem suo quisq; loco, se arment: alij verò signa & vexilla  
cæteris præferant: cur non etiam imperitos, & rerum ignaros  
Parentes, qui nullâ suos liberos doctrinâ erudiri volunt, com-  
pellant intrare Scholas? cur non cogant, informatione rectâ fi-  
liorum suorum, portenta, barbariem, inscitiam, ruditatem,  
impietatem, & similia monstra curent profligari. Summum  
itaq; & longè maximum, quem modò dixi, Imperatorem Caro-  
lum Magnum pio æmulati studio posterì Principes, qui maximis  
impensis ac sumptibus Scholas literarum aperuerunt, & apertas  
stipendijs ac redditibus perpetuis amplificârunt; verum esse exem-  
plo declarantes Tiberij secundi, Caesaris dictum illud: nunquam  
fisco Principis pecuniâ deficere posse, quandiu sapientes ho-  
mines in Scholis educati Rempublicam gubernarent: neque  
minus verû esse judicantes, Leonis Imperatoris, in simili genere  
magnificentie erga Scholas præstita, à Præfectis militiae & Pur-  
puratis quibusdam suis reprehensi, præclarum hoc Votum:

B

nul-

nullam se à DEO exoptare felicitatem majorem; quàm ut omnes belli & militiæ sumptûs in Scholas & Collegia hominum eruditorum sibi convertere liceret. Neq; verò opus esse existimo, multa hoc in loco externorum Principum exempla percensere; quùm in promptu sint domestica. Ecquis enim est tam rerum omnium ignarus, cui non sit exploratum Senatus nostri Amplissimi studium, seu potius liberalitas, Civiumq; in hâc Urbe honestissimorum largitas? Quæ in hâc summâ temporum difficultate plurimorum erga Scholam nostrâ sit beneficiëtia, satis hoc tempore comperimur. Et hæc mihi hujusce rei commemoranda causa est, ut præsentem hunc Cœtum scholasticum meis verbis munificentia ac beneficij hujus commonescerem, ipsisq; ostenderem, quantum inclito Senatui & Civibus debeant, in primis subsidio atq; ope destituti, nostrates Alumni; quibus in tantâ horum temporum difficultate, & ferè communi studiorum ruinâ, non modò de necessariâ vitæ sustentatione; sed etiam discendi occasione optatissimâ, liberalissimè hîc prospectum est. Aliàs quidem certissimum, quòd hoc Scholasticum vitæ genus, sicuti usus ac necessitatis causâ nulli secundum est; ita nullum magis desertum, vile ac despectum habetur, si mutuâ reliquorum ope ac subsidio sit orbatum. Longè non abeamus: an hoc tempore in primis id, quod dico, non res attestatur? Quando magis unquam Scholæ laborârunt? quando magis deserta Academia, despectiq; literarum Magistri, ac Professores fuerunt, quàm hâc tempestate? quâ pleriq; non tantùm operam suam piis & maximè necessarijs studiis subtrahunt: sed ea quoq; Cyclopicâ quâdam immanitate insectantur, odio, convicijsq; proscindunt. Quantum verò ex hoc literarum contemptu & despicientiâ existat in-

com-

commodi, nimis, proh dolor! Sipientioribus est manifestum.  
Interim hisce ut remedium aliquod Respublica nostra hactenus  
cum laude sui fructuq; Scholæ fecit: ita quoq; eiusdem deinceps oc-  
cursum itura, spes bona est: Furvabit videlicet Senatus noster  
nos Collegas, optimisq; quibusvis Conditionibus promovebit: ste-  
pendia, seu salaria nobis sine molestia, singulis septimanis faciet  
offerri; nec committet, ut cuiquam quicquam detrahatur,  
(quamvis detrahendi auctores suasoresq; non desint,) Sym-  
machi scilicet illius memor: bonas artes, inq; uientis, honore nu-  
triri; atq; hoc specimen esse florentis Reipublicæ, ut disciplinarum  
Professoribus præmia opulenta pendantur. Ne autem Scholæ  
sua curam unquam deposuisse cuiquam videretur idem Senatus,  
atq; in numero quasi haberet cotidie, quomodo sumptus apud  
juventutem collocarentur; viros doctos, & eruditos selegit, qui  
una cum Domino Superintendente hujus loci, Scholasticorum  
exercitiorum <sup>ad præsentiam</sup> quotidie existerent, de Præceptorum, de  
Discipulorum sive defectu, sive excessu, si qui deprehenderetur,  
sepius colloquerentur, errantes admonerent, in viam reduce-  
rent, corrigerent: de rebus prælegendis consilia conferrēt, & com-  
municarent: sæpenumero oratione bonam indolem commenda-  
rent, incenderent, excitarent; negligentes reprehensione depri-  
merent, castigarent, rubore suffunderent, ad frugem aliquam  
promoverent. Quin & ipse quotannis bis hunc scholasticum  
Exercitum sub Examinum solemnitate præsens lustrat, illustrat,  
exornat, atq; sua auctoritate ad frugem, ad gloriam, ad erudi-  
tionem exstimulat. Quin & hanc Scholam miris modis pro-  
vexit & amplificavit hactenus Civium nostrorum Liberalitas,  
quam alij Pauperiores qui huc aliunde advolant, suscipiendo, alij

Pauperiores qui huc aliunde aduolant, suscipiendo, alij alendo  
intra privatos Scholæ parietes, alij Mendicantibus Eleemosynas  
dando, exercuerunt, & adhuc exercent. Ita videlicet illis, qui  
suo tempore & loco, vel in Ecclesiis, vel Scholis, & Rebus publi-  
cis, & Politijs, contra indomitos hostes, furores, barbariem, hæ-  
reses aliq; monstra pugnaturi, meritò à toto Civium cœtù aliquid  
alimentorum impenditur. Non enim contemnendi pauperculi  
Tyrones, nec officijs nostris indigni habendi, quia sunt inter hosce,  
quos è pulvere Dominus evehere, de stercore erigere, & inter  
Proceres populi sui collocare decrevit. Nominare hîc possem  
exemplum incomparabilis Herois D. M. Lutheri, qui sæpius alle-  
gare non dubitavit, quomodo inter Scholares egenos cantillando  
locupletum ostia visitârit, donec auctâ, per Dei benedictionem, re-  
familiari parentum, honestius ipsum in studiis alere possent.  
Prolixè verò magnificeq; hoc loco celebranda foret meritò piorum  
Civium liberalitas, qui legatis amplissimis pauperum hujus  
Scholæ Alumnorum inopiâ duxêre sublevandâ. Inter eos aliquot  
qui mei Rectoratûs tempore, Rempublicam Scholasticam insigni  
liberalitate provehendam duxerunt, fuere: Viri Amplissimi,  
Consulares, Ornatisimi, Integerrimi: Dominus David Schmid,  
qui non tantùm Stipendium pro pauperibus civibus ordinavit,  
sed & chartam & dulciaria singulis Examinibus distribuenda le-  
gavit: Nec verò minus perhibendi Consules: Franciscus Fischer/  
Johannes Schwarz / M. Petrus Lehman / qui in publicis Ex-  
aminum solennitatibus libellos pauperioribus & bonæ indolis  
pueris per singulos ordines distribuendos ordinârunt. Tum  
etiam celebranda est munificentia Domini Stephani Schön-  
herrens, & honestissimæ Matronæ Margaritæ Thilinn, qui ultra  
mil-

mille florenis, unde quotannis ex redditibus vestes egenis ac nudis conficerentur, inopes Musarum cultores sunt munerati. Inprimis verò tua, Christophore Gilden | Senator quondam hujus Reipublicæ, quàm pia, quàm laudabilis est Testamentaria donatio & constitutio, quâ mille florenos pauperibus scholasticis legasti. Nec reticenda est liberalitas Domini Consulis Jacobi Sturmii, ut & Erhardi Sigerti, primarij Civis, qui eruditæ pietatis studiosis, hujus Scholæ Civibus stipendia constituerunt. Tempus me deficeret, si liberalem munificentiam Mauricii, Saxonie Ducis laudatissimi; præterea Virorū Præstantissimorum; Michaëlis Herbarti, & Salomonis Jahni; Matronarum item eximiarum: Meusingeræ, Collreuteræ Legatæ memorabilia prolixè recenserem. Hi quidem mortalitati sunt exempti; at nomen eorum ex hominum memoriâ nunquam eximitur. Utinam horum similes & alios haberemus, minùs fortasse pauperes scholastici, hisce præsertim temporibus conclamatis, laborarent! Tantum erga Scholam nostram studium & sollicitudinem, benevolentiam erga pauperes scholasticos isthâc ætate Senatum nostrum Prudentissimum & Amplissimum, Cives nostros honestissimos conservare, illustrare, propagare, quid munere suo aut convenientius aut dignius omninò suâ personâ facere? quid DEO gratius, quid commodius Reipublicæ, quid Urbi præclarius, quid nobis deniq; omnibus salutaris unquam possent præstare? Ita videlicet Optimi Consules & Senatores, Majorum vestrorum memoriam conservatis, sic propagatis vestram, sic DEI gloriam illustratis, sic decus & nomen Scholæ hujus amplificatis, utpote in quâ veluti sunt quædam Ecclesiæ seminaria, Reipublicæ plantaria, Provinciæ armamentaria.

ria. Nimirum hic omnis Civitatis spes, tanquam in herbis, est: hic robur atq; presidium Urbis, hic Religionis & rerum divinarum custodia, hic omnis, quaecumq; liberalia & honesta, & ut semel dicam, alter in terris Paradisus.

Dixi de priori Orationis mea parte, non quidem quantum volui, sed quantum potui; imò quantum debui in hac angustia temporis. Venio nunc ad posteriorem. quam, ut cursim me & perfunctorie exponentem, vestra Auditores, quod adhuc fecistis, solita humanitatis & benevolentiae aurâ in portum usq; provebatis, etiam atq; etiam oro. Sua igitur de Scholâ hac amplissime concepta spes & expectatio primos ejusdem Fundatores; nec Nutritios unquam fefellit; præterquam enim quòd Pietatis palæstra, disciplina Magistra, bonorum morum altrix & Alumna semper fuit: ex eâ omnitempore diversi diversorum Ordinum homines frequentis & laudabili numero prodierunt. Ex hac nonnulli ad Ecclesiarum, ad Scholarum nonnulli munera discesserunt: alii in Curiam, in Aulam alii: quidam ad Mercaturas. Imò (præfiscini dixerim) ex hac Theologi, ex hac Jurisconsulti, ex hac Medici, ex hac Philosophi prodierunt. Ex quibus omnibus insigniores tantum, & quos notos vobis maxime scio, ubi paucis recensuero, Auditores, perorabo. Agmen ducant illi qui suam felicitatē huic Scholæ acceptū unicè & in primis referunt; utpote, qui intra hosce parietes ferè cū lacte materno initia Pietatis imbibuerunt: Artes & Linguas, nutrimenta totius vitæ, & rerum adversarum solatia hauserunt, Civium videlicet nostrorum filii, in Scholam Illustrem (Misenam dico,) hætenus missi, numero sex & viginti. Hi sunt; de quibus in Epistola nuncupatoriâ,

non

non ita pridem ejusdem Scholæ Collega, Dominus Oelschlegel-  
us ad Reipublicæ nostræ Antistites prædicat his verbis: In  
hoc quoq; seculo, istud consequimini, ut, supremi Numi-  
nis indultu, Liberos educetis ingeniis præditos felicissimis,  
quiq; ad eruditionis amœnitatem jugi industriâ eant, festi-  
nent, ac tantùm non conspirent. Clarius (idem ait) loquor:  
Filiis Nobis erudiendos mittitis tales, in quibus, (res enim  
cogit me sine ullo verborum nubilo, aut schemate loqui) pu-  
dor natus & ingenuus, genuina probitas, & quicquid lau-  
dari potest, habitat: ut nemini secundi ingenio, nec æquali-  
bus industriâ, neq; interdum bene doctis, concedant literatu-  
râ. Horum è censu post annum millesimum sexcentesimum fu-  
erunt: Petrus Bersmannus, qui Patriam suam, utpote pri-  
mam studiorum nutriculam, thesauro doctrinæ suæ solidioris di-  
tare voluit Correctoratus officio, quò per integrum biennium  
functus, Pastor in Niclasdorff, Bobemorum; tandemq; in H<sup>er</sup>-  
rensfeldt / nostræ Diocesis vocatus: M. Henricus Beierus  
(1603.) Socer meus p. memor. è Bohemia in Patriam vocatus, ibi-  
dem Diaconus, Archi-Diaconus in annum vigesimum usq; vi-  
xit fidelissimus: Philippus Schreiterus (1601.) Collega Scholæ  
è Vallibus Joachimicis huc vocatus, primum Xenodochii Pastor,  
post biennium Concionator metallicorum: M. Michael Stempe-  
lius (1624.) Archi-Diaconus, quem adhuc vivum præstò vide-  
mus: Bartholomæus Rölick (1609.) Pastor in Mühlberg/  
Johannes Glenzelius (1605.) è Scholâ, in quâ duodecennium  
Correctoris partes obierat, ad Pastoratus officium in Buchholz/  
accerfitus: VV olfgangus Frenzeli9 (1613.) Pastor in Grünhain:  
Micha-

Michael Feig: Valentinus Hertelius: (1612.) ambo Medicinae  
Licentiati: hic post varias peregrinationes & reditu ex Italia:  
ille Reipublicae Dresdensis Physicus, & in ipso melioris aetatis  
flore, denati. His adnumerandi, qui in Illustri Aulae Dresdae  
in honestis functionibus pronunc vivunt, ut: Daniel Kirchner  
(1609.) Serenissimo Electori Saxoniae à Sanctiaribus Se-  
cretis: Antonius VVeck (1636.) eidem Electori Saxoniae à Se-  
cretis literis: Johannes Brüchner (1618.) ab Epistolis: Chri-  
stianus Schuman (1621.) Reipubl: Dresdensis Judex aequissi-  
mus; Litteratorum Provisor vigilantissimus: Vitus VVolfius  
(1627.) Notarius publicus, Adjunctus, qui nuperrimè in  
viviis esse desit. Ab Aula ad Patricios reliquos transeo, itidem  
ex Scholâ Illustri progressos, quales sunt: Georgius Laurentius  
(1601.) olim Pædotriba Friderisdorffensium: Fridericus VVahl.  
(1617.) Inspector hujus Scholæ vigilantissimus: David VVolf  
(1624.) Reipublicae nostratis Judicii Praeses aequissimus: Chry-  
sostomus Lehman (1627.) Notarius publicus Caesareus, Se-  
natui Marienbergensi ab Epistolis: Georgius Schmid (1635.)  
Scholæ patriæ Tertius Collega hodiè inserviens. Quos inter refe-  
rendi adolescentes in studiis humanitatis, & literarum egre-  
giè versati; adeoq; in Academiis consecuti elegantem exquisitio-  
ris doctrinae elegantiam, partim morte præventi, partim adhuc  
in viviis: Cornelius Frenzel (1620.) Michael Richter (1621.)  
Georgius Benedictus (1623.) Fridericus Lehman: Johan-  
nes Andreae (1625.) Georgius VVeinmar (1618.) Christia-  
nus Tünzelius. (1627.) Georgius VVahl. (1630.) Chilianus  
Rebentrost (1631.) & quem primo loco dicere debebam, M. Jo-  
hannes Frenzelius (1628.) S. S. Theologiae in Academiâ Lipsi-  
en-



ensi pro tempore studiosissimus: Nec praterireundi aut omitten-  
di: M. Gotofredus Schreiter (1615.) Pastor Müglensis; nec  
non Johannes Schreiterus, (1631.) J. U. Licentiatus, Cu-  
riae Electoralis VVittebergæ Advocatus; ejusdemq; frater,  
Christophorus Daniel, (1638.) in Philosophorum officinâ be-  
ne politus, limatus: M. Christianus VVolffius (1642.) pronunc  
Pastor in Hermersdorff/ M. Johannes Christophorus Gensel  
(1641.) sacrarum litterarum studiosus indefessus, Lipsiæ: Cum  
quibus conjungo viros etiam olim, & pronunc ordinis Senatorii,  
ceusunt: Georgius VVahl. (1616.) Judex, Eulebius Lehman  
(1621.) Prætor. Samuel Relsigk (1617.) Abrahamus Richter  
(1629.) Georgius Gensel (1616.) Quibus accedit: Michaël Zi-  
rold (1623.) Notarius publicus, Juris-Præcticus, Scholæq; hujus  
Inspector vigilantissimus: Israël Schmid (1625.) Notarius publi-  
cus, & publicarum litterarum Magister apud Ortrantios. Micha-  
el Schuman (1610.) J. U. Candidatus, Cotbusensium Civis:  
Michael Schmid (1623.) Politicus humanus. Hi videlicet  
sunt patriæ suæ spes, deliciae ac ornamentum. Dixi de Intraneis;  
conferam me nunc ad Extraneos quondam Scholæ hujus Cives,  
Pastores facti omnes, hunc Ludum literarium Matrem ac Nutri-  
cem honorantes, venerantes; quales sunt: M. Johannes Crebs:  
(1612.) olim Pastor & Superintendens nostræ Ecclesiæ vigilan-  
tissimus: M. Georgius Cünelius, (1611.) ad D. Thomam Diaconus  
Lipsiæ: M. Casparus Schmidt (1617.) Diaconus apud VVitteberg.  
M. Theodorus Albinus (1616.) Pastor in Lochau. Johan-  
nes-Thomas Hunnenberger (1626.) in Königsvald: M. Chri-  
stianus Putzsch (1619.) apud Ebrenfridisdorffenses: M. An-  
dre-

dreas Kaltwasser, (1609.) apud Mockrizenses: M. Johannes  
Theodorus Kirchner (1631.) in Mildena: M. Balthasar Sve-  
vius, (1618.) olim Con-Rector Scholæ hujus, nunc Pastor Maria-  
bergensium: Johan: Augustus Papa, Ebrenfried: (1626.)  
Pastor in Krumbhänersdorff & Deberscharr: M. Henri-  
cus Ryhl, (1626.) in Polonia: ejusdemq; frater, David  
Ryhl, (1641.) Diaconus in Ahrensfeld: M. Christianus Pisto-  
rius (1620.) in Eibenstock: M. Paulus Hörnigk, (1621.) in  
Levona, Prasulatus Martisburgensis: Samuel Mezler (1623.)  
in Kranzall: Caspar Arnoldus, (1619.) Diaconus Schletanorum:  
Georgius Bergig (1634.) in Grynham: Elias Pistorius, (1637.)  
in Künbaid: Johannes Vogelhaupt. (1611.) Pastor in Tzschor-  
la: Thomas Dhenius, (1612.) in Breitenbrunn: Johannes  
Laurentius, (1610.) in Reichenhan; qui Antecessorem habuit  
Christophorum Schmiedt. (1617.) Samuel Andreas (1629.) in  
Erlebach. Christophorus Entzman (1622.) in Hartenstein. Cas-  
parus Uhl, (1617.) in Rührsdorff: Johannes Bartholomæus  
Münchmayer, (1641.) in agro Berlinensi. Alios quàm plurimos  
cogor silentio, ob temporis angustiam, involvere. Prodeant nunc re-  
liqui literarum peritissimi viri, undiq; docti & præclari Philoso-  
phi, quos & ipsos paucis introducarn, ut planè videatis P. C. hu-  
jus Scholæ divinam benedictionem, quâ, ut omnibus facultatibus  
viri excellentissimi, ita & in Philosophia evaserunt. Ex qui-  
bus est M. Michael VVendlerus, (1622.) hodiè Philosophia  
Practicae in almâ VVittebergâ Professor non incelebris,

Giam

(jam verò Theol: Licentiatus) quondam è numero Mendicantium nostrorum: M. Johannes Stephanus Verbe-  
sius (1614.) Professor Poëtices, Lipsiæ: M. David Wendle-  
rus, (1636.) Gymnasii Poëtici Ratisbonensium Corrector, ac ibi-  
dem pronunc Diaconus: Samuel Dietrich, (1634.) Corrector  
in Crempen: M. Johannes Meise, (1621.) Leisnicensium Scholæ  
Moderator: Leonhardus Römer (1610.) Mittveida Ludimod:  
M. Albinus Seifrid (1640.) Reçtor Scholæ Chemnicensis de-  
signatus: Georgius Beutherus (1626.) Scholæ nostræ Collega  
Peninsimus: Michael Lohr (1610.) Dresdæ Cantor: Christo-  
phorus Eckstein (1609.) Mariæbergæ Cantor; jam verò Schne-  
bergæ collegarum quartus: Johannes Lindenzveig (1622.) in  
Frauenstein, & Samuel Fickman (1618.) in Hānitchē Cantores.  
Sed illorū omnium nomina, qui ad laudabilem aliquam frugem ex  
hāc Scholā pervenerunt, si aggrederer enumerare, quemadmodū  
mente & animo concepta habeo, vox me deficeret. Vnum ta-  
men atq; alterum adhuc silentio præterire non possum, bonarum  
videlicet in Academiis celebrioribus Artium deditissimos, quo-  
rum messis adhuc in herba est: Leo Sahrer, à Sahr (1642.) Jo-  
hann-Christophorus Moyfes de Khyrbergk: (1638.) Mat-  
thæus Storch, (1642.) Nobiles: Item Augustus VVolff (1642.)  
Phil: Bacc: Samuel König: (1642.) Christoph. Teubnerus,  
(1641.) Cornelius Cünigham (1641.) Gottfrid Pezold (1646.)  
Johannes Sommer (1647.) Johann-Martin Schvvab (1648.)  
Franciscus Romanus Bruno, Lipsiensis, (1645.) Johan VVeise  
Penicensis (1647.) &c: O igitur laudabilem Scholam nostrā!  
O felicem tam præclaræ scholis Parentem! O verò DEI immen-  
sam

jam & inexplicabilem misericordiam, quã Hanc tam clementer  
aspexit, largitus vires ac robur, inter tot tantasq; belli agritu-  
dines & perturbationes. Tibi JESU CHRISTE, Scholæ hujus  
originem, tibi progressum & conservationem uni debemus. Vos  
igitur Discipuli (mea enim Vos compellat oratio,) facite nunc de-  
inceps quod Pietatis est, modestiæ, officii vestri, & dubium o-  
mninò nullum est, quin aliquando ad multò majora sitis, quàm  
Antecessores vestri, ex hâc eâdem Palastrâ peruenturi. Ve-  
rùm ista pluribus persequi jam, mei non est instituti; neq; tempo-  
ris brevitatis, cujus circumclusi quasi gyro, sumus, longius e-  
vaga-  
ri orationem permittit, quæ intra carceres aliquando revocan-  
da est. Tibi verò, æterne DEUS, gratias agimus immensas, quòd  
Scholam hanc subindè magis magisq; Numine tuo divino profe-  
ctam benignè regis atq; conservas, præsertim in tantâ rerum omni-  
um inconstantiâ, vicissitudine & confusione.

Te veneramur, flexisq; mentis genibus precamur, ut, quot-  
quot hanc Scholam frequentant discendi causâ, monstratâ vir-  
tutis viam ad doctrinam pergant, formantium manûs admit-  
tant, & eruditionis frugem latissimam gignant, unde ad Rempub:  
aut Ecclesiam tuam fructus uberrimi redundent.

Quod reliquum. Alme Parens, Pietatis & Artis origo:

Qui sedet hic cœtus, tuus est. JEHOVA, tuoq;

Pendet ab ore, sacras Tibi discit & addocet Artes:

Poplitibus flexis, submisso & corde rogamus,

Instrue, quod docile est, pectus; cœtusq; Docentium,

Discentiumq; Artes præsentis Numine firma;

Ut tibi sit semper gratum, Nos quicquid agemus!

D I X I.

POST.

# POST-FATIO

ἠεροφωνήϊκή,

*ad quosdam harum Pagellarum publicanda-  
rum Solicitatores.*

En Vobis, Discipuli olim mei, (qui, quales cujate sive estis, quorum Nomina, ob causas domi notas, supprimo.)

## Differtationem Scholasticam

Scholasticam dico: quæ stylum, tenuem ac jejunam, nec demorsos unguis sapientem: quæ Materiam, credo, arridere eam Vobis forsan, propter vestra inibi expressa Nomina, quæ aliquâ ex parte hîc reddi ornatiora existimatis. Nominibus igitur vestris hoc quicquid est laboris scholastici, exhibeo: accipite quæso, istud mei erga Vos amoris τεκμήριον, vestri erga me favoris ac studii χερσῆριον & sicubi narratio cespitat, vel iudicio aberrat, candoris vestri salē aspergite. Vos interim ἠνομένως oro, ut Vester ille erga me nunc Senem adfectus maneat constantissimus. Valete ὡς μήκιστα, καὶ ὡς βέλτιστα. Dab: Annæb: die tum mihi Natali, 28. Januarii, anno 1650. quo ann. ætat: 70. ingrediebar,

*Vester olim Præcept:*

M. G. A. Schol: R.

Pro

*Pro declarandâ suâ erga Præceptorem observantiâ & Grati-*

*tudine hæc συγχαριστικά, εὐχαριστικά, εὐνήματα, apponunt*

*Discipuli.*

**L**ustra peregisti non parva, **ARNOLDE**, docendo  
Annæ. Montanæ pignora mille Scholæ.

Hos inter quondam vixi pars parva Sodales,

Mendici Pueri munera tenta gerens.

Non opis est nostræ dignas persolvere grates

Pro tanto, Fautor magne, labore Tibi.

**JOVA** Tibi noster, qui curat talia semper,

Æterni Tecti gaudia mille dabit.

Michaël VVendlerus, SS. Theol. Li-

cent. P. P. & pro tempore Acad.

Witteberg. **RECTOR.**

**E** Meritis meriti siquidem tribuuntur honores;

Emeritus merito dignus honore Vir es,

**ARNOLDE!** Ecce tui canescunt nempe labores,

Discipulusq; senem se tuus esse videt.

Præteriêre quater duo lustra, atq; insuper annus,

Postquam **RECTOREM** Te Schola nostra vocat.

Rari quippe viri, scholico queis pulvere vesci

Tantisper, supero **NUMINE** dante, licet.

Tu superas; & quò liceat superare per annos

Quàm plures, mecum Patria chara vovet.

*ita velificans honori Præceptoris quondam sui*

*bm. fundebat Annæbergæ.*

**M. Michael Stempelius, Annæ-**

**berg. Archidiac.**

I. Si

I.  
**S**I, Sciote, esse scholam mera jactas otia, fallis:  
Negotiosa sunt Scholæ sanè otia!  
Sceptra Scholæ Arnoldus dùm fleçit, an otia amârit,  
Oratio hæc probat, probant discipuli?

II.  
Doctori æquivalens pretium si nemo valebit  
Pendere, quî poterunt & TIBI Discipuli?

III.  
Impiger Agricola ut curâsti tempore \* Mansum  
In scholico, indoctæ pubis inersq; solum:  
Vana laborâsti minùs, ô Præceptor amande:  
En Mansus, fateor, germina multa dedit!

*\* Heinrich Meibonius in  
Vindiciis Billinganis: No-  
tanda veniunt vocabula,  
Mansus & manens, in hac  
significatione Classicis scri-  
ptoribus ignota, mediæ æ-  
tatis usitatissima. Mansus,  
Mansa, mansum (sic enim  
promiscuè usurpant Scri-  
ptores) est latifundium,  
sive prædium, in quo quis  
manere, ac familiam alere  
potest, &c. Eine Hufe Landes. Vide Dn.  
Oehlschlegelium in Hieroglyph. Scholasticis.*

Ita suo olim Præceptori, postmodùm Collegæ,  
jam Amico sine fuce adgratulatur,

M. Balthasar Svevius, Ecclesiæ  
Mariæbergensis Pastor.

**S**I præclara meret plantator nobilis horri  
Nomina, siq; manus sedula laude viget;  
Te, venerande Senex, illustris fama manebit,  
Seraq; posteritas nomen ad astra feret.  
A Te plantatus Sophiæ hic prænobilis hortus  
Est, ubi, quæ monstras, germina docta nitent.

*apponebat*  
M. Christianus Wolff/Pastor Ecclesiæ  
Christi in Hermansdorff.

**S**It licet in mundo scholici contemta laboris  
Sarcina, sed verè sarcina sancta poli:  
Inde diu placuit scholico sudare labore,  
Olim Præceptor, voce docere gregem.

I. Si

Tc

Te Rectore, viros benè doctos perpoliâsti,  
Qvi profunt Templis jam Patriæq; Scholis:  
Hinc Annæbergæ semper tua fama manebit,  
Nec poteris totus, cum moriêre, mori.

Sed, quæ, pro tanto sunt munere, munera danda?  
Mercedem æternam mens Tibi nostra vovet.

*apposuit*  
Johannes Bogelhaupt / Alumnus o-  
lim Annæbergæ, ab anno 1611,  
usq; ad 1615: jam verò  
Pastor in Zschortau.

Magister Georgius Arnoldus, Cicensis, Poëta laureatus.

*ναὶ ἀνάγκη.*  
Gaudes, VIR optate? surget salus ac gloria nesciens mori.

\*\*

ECquid, pars animæ meæ, Scholæq;  
Annæbergiæ Columna & Atlas,  
Cum Tibi inbeunt tui labores,  
Qvos R E C T O R vigilando sustulisti,  
Gaudes, præmia larga Te manere?  
Non parvos etenim Scholæ labores  
Exantlâsse juvat pio instituto  
T E, perchare Parens, mihi meisq;ve  
Musis, quas cupido favore mulces.

Certè, Tu Patriæ meæ Juventam  
Multis nominibus Tibi obligâsti;  
Qvin totam Patriam beare quæris,  
Dum sic Zodiaco perennitatis  
Famâ perpetuâ, trahente amore,  
Montem Annæ penitùs dicare gëstis.

Tan-



Tantis pro meritis Tibi nec omnes  
Possent Discipuli referre grates,  
Quamvis assiduò flagrent labore:  
*In cœlis tamen est repôsta merces.*

Gaude idcirco! ter, accino, quaterque,  
*VIR optate, polo favente, gaude!*  
Nam *salus TIBI surget, ac manebit*  
*Mori gloria nesciens in ævum.*

*Amoris & gratitud. ergò  
fundeat Lipsia*

M. Johannes Frentzelius, Annæmont.  
SS. Theol. Stud.

**Q**uod cano capiti debet decus atque brabèum,  
Aut quæ Rectori sunt tribuenda meo?  
Inter mortales, *Laus, & post funera Nomen*  
*Durans: in cœlis, palma repôsta diu.*

*Ita debita gratitudinis ergò alteri suo Parenti,  
facieb. olim discipulus*

Georgius Schmidius, Annæmont.  
p. r. scholæ patriæ Col-  
lega Tertius.

**L**ustra per octo, scholæ **RECTOR**, moderaris habenas  
Pro summâ ingenii dexteritate tui.  
Inde tuum vivit post ultima funera Nomen,  
Inq; Polo merces magna repôsta Tibi est.

*Dn. olim Preceptoris, nunc compatri  
suo scrib.*

Georgius Beütherus, Sch.  
Coll. quartus.

D

Mons

**M**ons Annæ donec; donec Schola salva manebunt,  
 O Arnolde, tuus non morietur honos.  
 Auspice, nam multi, divini Numinis Aurâ,  
 Te Rectore, Scholæ profiliere viri,  
 Qui patriæ jam jam profunt Temploq; Scholæq;  
 Suntq; tui memores Nominis atq;ve Scholæ.  
 Hinc & ego dignas prom'o Tibi pectore grates,  
 Qui me formâsti gnaviter atq; benè.  
 Desuper ex animo Tibi secula Nestoris opto,  
 Ac hanc post vitam regna beata poli.  
 Hoc precor, hoc opto, tantumq; precabor ubiq;  
 Dum vigor in tepido corpore vivus erit,

ὀλοψύχως βεῖ

ἠρπασίτ

Christophorus Eckstein Mariæbergensis,  
 Scholæ Annæbergensis ab Anno 1609.  
 usq; ad A. 1612 olim Alumnus, jam  
 verò Scholæ Schneebergensis

τεταρτοδιδάσκαλος.

  
**MAGISTER GEORGIUS ARNOLDUS, RECTOR**

per ἀνάγραμμα, exclusis g. & s. & contra  
 assumpto e. exhibet:

**AGE, COR, SERTO DIGNUM TERRIS LAUREO.**

*Ad Dn. Rectorem, Præceptorem suum  
 devenerandum.*

**S**i quis, quid meritis, Juvenum quòd pollice dextro  
 Tot benè formâsti mollia corda, roget;  
 Sincerum huic, AGE, COR, labra haud fallacia, SERTO  
 Te DIGNUM in TERRIS LAUREO honoris, ait:

In coelis verò mixtus Doctoribus, id, quod  
Est inter stellas candida Luna, fies.

*Sic gratus fer.*

Samuel König/SS. Theol. Stud.



*Matth. XXV.*

**I**NCLUTE VIR, quia non tibi tradita munera perdis,

Sed quæris justo commoda sacra lucro.

Dum juvenum mentes studiis ac artibus almis

Instruis, & doctos addis ubiq; viros:

Christus ait: capies vitæ de fronde corollam,

Impiger, ecce Tibi regna beata patent.

*f. Lipsiæ*

Cornelius Cuningham, Annæb.



**H**Oc opus, hic labor est; sic multos tradere Christo,

Quos probet ipse Chorus, sentiat atq; Forum,

Talia fecisti, charum Caput: optima merces

In cœlis residet, quam Tibi Jova dabit.

*Ita optat*

Augustus Wolff/ Annæb.



**E**N, venerande Senex, quondam mihi care Magister,

Sincerò votum pectore tale fero:

*Te superesse diu, plures & cernere messes*

*Jova velit, plures ut docuisse queas!*

*f.*

Abrahamus Hoffmann, Philos.

Stud. Annæb.

**U**T Parens in Liberis, sic in Discipulis Magister, postquam vixit, vivit. Inter utrumq; ingens similitudo, & veluti paritas. Hic ut Filios, sic ille Discipulos habet, Filii boni, Patri Discipuli sunt: Discipuli boni, Magistro Filii.

*Puteanus Orat. 9. p. 123.*

**F I N I S.**

In ecclesia vixit: Dicitur quod  
ad mirandum est: I. h. h. s.

244  
100

INCILITE VIR, dicitur quod  
sed dicitur in hoc loco  
Dicitur quod in hoc loco  
In fine, & dicitur quod  
Christus: caput viri de honore coronatum  
In fine, & dicitur quod

Cornelius Cuningham, Annab.

In fine, & dicitur quod  
Talis est, dicitur quod  
in ecclesia dicitur quod

Augustus, Annab.

In fine, & dicitur quod  
In fine, & dicitur quod

Abrahamus Hoffmann, Philol.

Sind, Annab.

In fine, & dicitur quod  
In fine, & dicitur quod  
In fine, & dicitur quod

F I N I S

100

m. 5.



h. 103, 22.

(X 20)

